

bat RIOLANVS, ad arteriam caeliacam) transvehat. Sed haec tetigisse suffecerit.

SECTIO II.  
PHYSIOLOGICA;  
DE  
PROGRESSV SANGVINIS,  
ET MOTV VENAE PORTAE.

**D**E structura partium, numero, figura, textura, situ, connexione, certos nos reddit ANATOMIA, prima proinde totius medicae theoreticae doctrinae pars; de officio & usu earundem, ad quosnam effectus has partes, ut instrumenta sua, agens, in corpore animato, vulgo Natura, adhibeat, considerat PHYSIOLOGIA, ab hac Natura nempe denominata.

Usus nostrae Venae est, ut omnium, vehere nempe sanguinem, imo revehere e partibus, versus cor. Diversitas vero, ab omnium reliquarum venarum systemate, illa subest. Cum omnes reliquae venae ex angustiioribus initiis magis magisque in amplio rem capacitatem abeant, & hae ipsae capaciores portiones denique in unum capacissimum canalem, nempe truncum venae cavae, sese exonerent, qui in ipsum alveum, dextrum cordis ventriculum, promptissimo lapsu, effundit quod continet: Ita in Vena portae contrario modo sese res habet, quod illam partem attinet, quae hepar subingrediens, in pluri- mas minores & minimas divaricationes dispescitur.

Cum enim per illas exiles venas, quae per intestinorum tunicas, praecipue nerveam, disseminatae, & per splenem, omentum, ventriculum, pancreas, distributae sunt, sanguis e minoribus ad maiores capacitates, & denique